



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 3. De qualitatibus Cardinalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

§. 3.

*De qualitatibus Cardinalium.*

*Cardinales debent esse* 1. *Legitime nati.*

2. *Non infames.*
3. *Docti ac Probi.*
4. *Clerici in 4. Minoribus saltem constituti.*
5. *Non habeant Prolem, vel ex eâ Nepotem.*
6. *Non habeant Fratrem vel Patruelem viventem, qui sit Cardinalis.*
7. *Nec Nepotem ex Fratrem vel Sorore, nec Patruum aut Avunculum viventem in Collegio Cardinal.*
8. *Habeant qualitates requisitas in Episcopo.*
9. *Non sint bigami.*
10. *Sint minimum quatuor insignes Theologi ex Regularium ordinibus assumpti in eorum Collegio.*

**S**ecundum constitutionem 50. Sixti V. Postquam requiruntur variæ qualitates in iis, qui ad Cardinalatus dignitatem assumuntur.

1. Ut legitimis & honestis sint exorti natalibus, adeò ut Illegitimi etiam per subsequens matrimonium legitimati, aut super defectu natalium auctoritate Apostolica dispensationem consecuti, inhabiles sint ad Cardinalatum.

2. Ne sint aliqujus criminis, aut infamiae



*De qualitatibus Cardinalium.* II

miæ nota reïpersi, nec defectum habeant, ob quem sine dispensatione ad sacros Ordines promoveri non possint.

3. Doctrina, vitæ probitate aliisque qualitatibus à jure requisitis sint præditi.

4. Clericali etiam charactere insigniti, & in 4. Minoribus ordinibus constituti per annum saltem ante promotionem habitum & tonsuram gestaſſe tenentur.

5. Si Filiam vel Fillum etiam ex Legitimo matrimonio, vel ex iis Nepotem habeant, promoveri non possunt ad Cardinalatum.

6. Frater, etiam ex uno Parente Germanus, vel Patruelis, Consobrinus aut Amitinus alicujus Cardinalis viventis, Cardinalis esse non potest.

7. Patruus aut Avunculus Nepotis ex Fratre vel Sorore Cardinalis viventis, atque etiam Nepos Patruï vel Avunculi prohibetur assumi ad Cardinalatum.

8. Juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de reform. c. 1.* Ea omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus sunt constituta, etiam in creatione S. R. E. Cardinalium exiguntur.

9. Ad Cardinalatus celsitudinem non solent

solent



12 *De numero Cardinalium.*

solent quoque bigami promoveri. Azor. p. 2. l. 6. c. 7. 4. ult.

10. Inter cæteros verò Cardinales, præter egregios utriusque juris aut Decretorum Doctores, esse minimum debent quatuor insignes Viri in sacra Theologia Magistri præsertim ex Regularibus & Mendicantium Ordinibus assumendi. Sixtus V. cit. Const. 50. Postquam, §. 9.

§. 4.

*De numero Cardinalium.*

1. *Cardinalium numerus in jure non est determinatus.*
2. *Olim putantur fuisse tantum duodecim.*
3. *Deindè viginti octo vel plures.*
4. *Postmodum eorum numerus valdè imminutus fuit.*
5. *At à tempore Bonifacii VIII, iterum crescere cæpit.*
6. *Quem demum Sixtus V. defini vit, ut non excederet septuagesimum.*
7. *Postea Clemens VIII, Septuaginta duas Ecclesias & Titulos Cardinalium designavit.*

I.

**C**ardinalium numerus in jure determinatus non reperitur, sed in arbitrio Summi Pontificis perspecta Ecclesiæ necessitate residet.

2. Olim